

Petrus de Vinea

Ep. V 35 (Pro parte uniuersitatis castris...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. V 35 (Pro parte uniuersitatis castri...)

1246?

De salariis Potestatum in approbata forma.

1. Pro parte uniuersitatis castri..., fidelium nostrorum, nuper celsitudini nostrae fuit oblata querela, quod cum ipsi antiquitus eorum Potestatibus certam et congruam pecuniae quantitatem pro salario, et non ultra, secundum formam Statuti castri eiusdem consueuerint exhibere. 2. Dubitantes, ne in futurum per alios Potestates maiorem compellantur soluere pecuniae quantitatem, maiestatis nostrae pro parte ipsorum extitit humiliter supplicatum, ut eisdem fidelibus nostris super hoc ad futuram cautelam ipsorum dignaremur misericorditer prouidere. 3. Nos itaque ipsorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus Potestates eorum, ibidem de cetero per nostram curiam destinandos uel statuendos, illa salarii quantitate facias esse contentos, quam Potestati eorum ipsos tibi constiterit exoluisse eo anno, quo de Lombardia partibus redeuntes per Tusciam transiuimus, et Pandulphum de Fasanella, proditorem nostrum, uicarium Imperii in Tuscia duximus ordinandum; uel anno, quo terra ipsa ad nostram fidelitatem dicitur deuenisse.